



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

XXIII. De honestate morum in vita & habitu a clericis seruanda, sine
vestium preciosarum pompa & luxu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

XXII.

ANNO
CHRISTI
1527.

Fide dignorum relatio ad nostrum auditum perduxit, quantum in multis monasteriis sit a primæ institutionis puritate recessum, siquidem illorum cœnobitæ sic vitam monachalem & regularem reiecerunt, vt & moribus & nomine & habitu religiosi haberi & nominari vereantur. Quod si in præmissis gubernaculum disciplinæ contemnatur, hoc solum restare videmus, vt religio naufragetur. Rebus itaque in deteriora prolabantibus obuiam ire volentes statuimus, vt abbates, abbatissæ, priores, priorissæ, & alii religiosorum superiores, quocumque nomine censeantur, sic sua monasteria in cultu diuino, vita & moribus, vestimentis monachalibus, cibus & potibus, reforment, & suos religiosos & moniales, ad vitam regularem & monasticam, secundum institutiones suorum ordinum & alias regulares, reducant, quod in eis nihil reperiatur, quod diuinam maiestatem & simplicium animos offendere possit. In præmissis autem, per diœcesanos in suis visitationibus diligens inquisitio fiat. Et quæ repperint deformata, reforment, & omnino corrigant: quæ super prædictis facta fuerint sequenti Concilio referant. Et ne notorium illum abusum, quo nonnulli regularem apostasiam incurrendo, sine habitu regulari etiam in publicum incedere non erubescunt, sub dissimulatione pertransire videamur: statuimus, quod canonici regulares de cetero super veste exteriori togam lineam, tam intra, quam extra monasterium, ferre omnino teneantur. Nisi forte super huiusmodi toga non deferenda, priuilegium habeant: quod suis diœcesanis exhibere infra duos menses, a die publicationis computandos, habeant: Qui visò priuilegio, super alio habitu patenter distincto a vestimentis clericorum sæcularium, ordinabunt, vt expedire & iuris esse videbitur.

De toga lineam super vestem a canonicis regularibus ferenda.

XXIII.

Omnes clericos, maxime in sacris constitutos, admonitos esse volumus: se cum in sanctorum loco sint, necessitatem bene viuendi, non licentiam peccandi esse assécutos. Idcirco eos hortamur, vt opera sanctorum exercent, luceantque coram hominibus opera eorum, sintque vere illud sal euangelicum. In ministerio vigilantes &

ANNO
 CHRISTI
 1527.

solliciti, plantent, euellant, dissipent: & cum summo studio adificent quæ pietatem respiciunt.

Insuper professionem suam probent habitu, scilicet vt per decentiam habitus extrinseci intrinsecam morum honestatem ostendant. Vestitus ergo clericorum, maxime in sacris constitutorum, non sit expectoratus: sed a collo desuper vndique clausus, a manicis, lateribus, & retro.

Cum elationis habeat calumniam, quidquid propter venustatem, non propter necessitatem accipitur: & ne bona ecclesiæ, quæ pauperum sunt, in fastum & corporis ornatum (qui a sacro ordine alienus esse debet) conuertantur, inhibemus omnibus & singulis ecclesiasticis nostræ prouinciæ, ne vestimentis exterioribus & sagis oblongis sericeis, in publico aut domestice vtantur, sub pœnis arbitrio diœcesanorum imponendis. Non tamen intendimus ecclesiasticis ex sanguine regio aut ducali ortis huiusmodi vestimentorum sericeorum delationem prohibere: quos tamen hortamur vt in suis vestimentis decentiam ecclesiasticam obseruent.

De vestimentis sericeis non deferendis a clericis.

XXIV.

Vestes sint talares, non frongiata, aut partita; nec nimia amplitudine superflua, nec plus æquo constricta, in quibus clericalis ordinis honestas & modestia, non fastus iactantia, vel elationis vitium, deprehendatur. Non etiam camisiâ gestent (quod dicunt) frongiatas.

Non pannosi sint clerici, aut in vestibus laceri. Neque enim affectata sordes, aut exquisita delicia, laudem pariunt.

Non caligas, partitas aut scacatas assument, neque circa genu dissutas, non lunatis seu cornutis, ac nimis fenestratis, calceis vtantur. Non annulos in digitis deferant: nisi forte huiusmodi sint, quibus id ad decorem suarum dignitatum permittatur.

Ipsi quoque clerici in sacris præsertim constituti, & eorum commensales, neque comam relaxent, aut barbam nutriant: sed tonsuram, coronam, seu rasuram habeant, secundum ordinem suum honeste rasam.

De honestate a clericis seruanda in crinibus & tonsura.

Denique iuxta Concilium Lateranense pannis rubeis aut viridibus non vtantur: ab iis denique abstineant quæ in eodem Concilio continentur.